73

ARTICVLI
ORTHODOXAM RELIGIONEM SANCTAMQVE
fidem noſtram reſpicientes,

A SACRAE THEOLOGIAE PROFESSOribus Louanienſis Vniuerſitatis editi, per ſacratiſſimam Cæſaream Maieſtatem merito confirmati, qui ab omnibus rectè & religioſè viuere cupientibus, & ſyncerè de eadem orthodoxa fide ſentientibus, ſeruandi & firmiter credendi veniunt.



1872

PARISIIS,
Apud Chriſtianum wechelum ſub ſcuto Baſilienſi, in vico Iacobæo : & ſub Pegaſo, in vico Bellouacenſi.
Anno M. D. XLVII.
CVM PRIVILEGIO.

Extraict des regiſtres de Parlement.

La Court a permis & permet a Chreſtien wechel Marchât Libraire Imprimeur iuré en l'Vniuerſité de Paris, faire imprimer & expoſer en uête, certains articles de la foy catholicque, faictz tant en Latin qu'en Frãçoys par la faculté de Theologie de Louain, & confermés par la maieſté Imperiale. Et defend a tous autres quelz qu'ilz ſoiēt, de les imprimer, ou vendre ailleurs imprimés, dedans deux ans, ſur peine d'amende arbitraire. Faict en parlement le 15 iour de May l'An 1545. Ainſi ſigné, Berruyer. Et aprés eſcript, Collation eſt faicte.

Google

CAROLVS DIVINA FAuente clemẽtia Rom. Imperator ſemper auguſtus, Rex Germaniç, Caſtellç, Legionis, Arragonũ, Nauarrę, Neapolis, Siciliç, Maioricarũ Inſularũ Indiarum & terræ firmæ maris Oceani· Archidux Auſtriæ. Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiç, Limburgiæ, Luxẽburgiæ, & Glieldriç Comes Flandriæ, Artheſii, Burgundiæ, Palatinus & Haunoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferrettis, Hagenaldi, Namurci, & Zutphaniæ Princeps Sweuiæ Marchio ſacri Romani Imperii: Dominus Friſiç, territorii Traiectẽſis citra & vltra Inſulam, Mechliniæ, Salinarum & Groeninghæ. Et Dominator in Aſia & in Aphrica, Vniuerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem QVVM pro noſtro erga Deum Opt. Maxi. Chriſtianámque Remp. officio, quietéq, & trãquillitate ſubditorũ, in noſtris inferioribus regionibus cõſiſtentium, extirpationi pernicioſorum dogmatum, hæreſum, & errorũ, in prætactis regionibus (proh dolor) pullulantium & graſſantium, diligentiſſimè ſemper inuigilauerimus ac incubuerimus Quod vt commodiùs faciliuſq́, fieret, & de noxiis ſupplicium ſumeretur, pleraq, ſalubria ediderimus publicaueri muſq́, ſtatuta, frequẽter illa innouando am-

pliandoq́,appoſitâ etiam nõnunquam grauium pœnarum comminatione. Certiores attamen effecti ſumus,quòd prætactis remedijs non proficientibus,naturæ inimico malè ſuggerente,hæreſes antèdictæ,iniquaq́, dogmata, neque extincta aut ſedata extant, imò publicè & priuatim magis atque magis in dies gliſcunt. Quod quidem euenire maxima ex parte compertũ eſt, ob doctrinarum diuerſitatem, quam concionatores & alij ad quorum officium ſpectat verbum Domini ad populum enunciare, ſpargunt & effundunt. nonnullis eorundem de literis ſacris, vno modo,alijs aliter ſentientibus vnde indoctũ vulgus perſæpe ambiguum, incertũ, & ſæpenumerò deceptũ fuit. Quibus malis vt obuiàm eatur, & quantum in nobis eſt, detur opera, vt ſacroſancta mater noſtra Eccleſia,quam puram & immaculatam eſſe oportet,nullis diuerſarum traditionum maculis aſpergatur: vtq́; Chriſtiana noſtra pietas & religio, certa conſtanſq́, in publicis concionibus decæterò in dubium nõ reuocetur, prædicatoreſq́, determinatam habeãt reſolutionem,quam populo annunciare teneantur. Nonnullos per Decanum,alióſque ſacrarũ literarum profeſſores noſtræ Louanienſis academiæ, filiæ noſtræ,articulos deligi curauimus, quibus dubia

per

per hæreticos in cõtrouerſiam diſputationemq́; circa orthodoxam fidem, religionemq́, noſtram hactenus vocata, reſoluuntur diluuntúrque, Tenoris infrà ſcripti.

Decanus & Facultas

THEOLOGORVM LOVAnienſium, omnibus in Chriſto fidelibus, Salutem.

MAgnas quotidie vires in his regionibus accipit hæreticæ peſtis cõtagium, ac niſi occurratur, futurũ proſpeximus, vt hîc breui plena ſint omnia, nõ ſolùm Lutheranorũ, Oecolampadianorum, & Anabaptiſtarũ, ſed iſtorum etiam, qui nuper adhuc obſcuris nominibus emergere cœperunt. nec dici poteſt, quanto ſtudio teneantur multi clanculum mõſtra iſta alendi. Quare pro officio quod in Eccleſia Dei gerimus, verbis paucis cõplexi ſumus articulos certos dogmatum, quos propter hereſes dictas, valde expedit hoc tẽpore à bonis & catholicis concionatoribus populo (nam populi cauſa operam hanc ſuſcepimus) exponi, fideliterq́; & diligenter explicari. Quos quidem articulos aliquantò

 ſuſiùs

fuſiùs ,pauloq́, altiùs repetitis principiis amplia-re exponereq́, potuiſſemus: verùm hoc neceſſarium nobis viſum non eſt. Quinimò vtilius fore credidimus,ſi quàm ſimpliciſſimè proponerentur,ad captum etiam imperitiſsimorũ. Porrò eò libentiùs rem hanc curauimus, quia certò intelligebamus eandem Cęſareę Maieſtati magnę curæ eſſe, & quæ ipſius egregia pietas eſt, vltrò etiam iſtiuſmodi quippiam expetere.

ARTICVLVS PRIMVS.

CRedendum eſt ſeptem eſſe Eccleſiæ ſacramenta à Chriſto inſtituta:quæ ſunt, Baptiſmus, Cõfirmatio, Euchariſtia,Pœnitẽtia, Extrema vnctio,Ordo,& Matrimoniũ. Per quę (quanuis externa & corporalia ſigna)Deus inuiſibiliter, ſiue per bonos, ſiue per malos miniſtros,noſtram ſalutem operatur.

I I

Baptiſmus ad ſalutem omnibus eſt neceſſarius,etiam infantibus,per quem peccata planè tolluntur,& fiunt filii Dei,ac hæredes vitæ æternę: nec vnquam eſt iterandus.

I I I.

Pœnitentiæ ſacramentum, quod poſt Baptiſmum omnibus relapſis eſt ad ſalutem neceſſarium,

Google

rium,cõplectitur contritionem,confeſsionem, & ſatiſfactionem. IIII.

Contritio, eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus, cum propoſito cõfitendi & ſatiſfaciendi: non autem (vt quidam hoc ſęculo pernicioſè docent) terror conſcientiæ, propter apprehenſum gehennæ ſupplicium peccatis debitum præparat tamen hic terror & gehennæ metus, ad veram animi contritionem.

V

Confeſſurus, diligentiam legitimam adhibere debet, quò Sacerdoti iudici ſuo, manifeſtet omnia peccata ſua mortalia, etiam occulta cordis, vt ab eis per illum abſoluatur cuius abſolutionis miniſter eſt ſolus Sacerdos, ſecundum Eccleſiæ ritum conſecratus. VI.

Satiſfactio, eſt perſolutio pœnæ, plerũque adhuc debitæ, remiſſâ iam culpa. Nam omnem pœnam peccato debitam ſemper cõdonari culpâ remiſſa, erroneum eſt, & ſcripturis ſacris aduerſatur VII.

Certâ fide tenendum eſt, hominem habere liberum arbitrium, quo poteſt malè, & cũ gratia Dei bene agere, & poſt mortale peccatum admiſſum, Deo adiuuante pœnitere, & peccatorũ remiſsionem conſequi.

Ad

VIII.

Ad iuſtificationem ante omnia neceſſaria eſt in adultis fides, quâ certò credimus Chriſtum Ieſum dei filiũ, nobis propiciatorẽ à patre propoſitum eſſe pro peccatis noſtris in ſanguine ipſius: ſine qua nullis noſtris operibus, nulláque pœnitentia iuſtificatio obtineri poteſt. ſicut nec fide ſola, ſine pœnitẽtia & propoſito viuẽdi ſecundum mandata Dei.

IX.

Fides quâ quis firmiter credit, & certò ſtatuit, propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeq́; poſſeſſurum vitam æternã, nullum habet in ſcripturis teſtimoniũ, imò eiſdẽ aduerſatur: etiamſi firma & certa ſpe expectare debemus in hac quidem vita, per ſacramentum baptiſmi & pœnitentiæ, peccatorum remiſſionem: in ſeculo autem futuro, vitam æternam

X.

Itaque, quandiu inter hoſtes noſtros & aduerſarias poteſtates hîc viuimus, nulla nobis eſt ſecuritas: ſed cum timore & tremore iuxta ſentẽtiam Apoſtoli, noſtram ſalutem operari debemus. Et ſecũdum varias animorum noſtrorũ affectiones, nunc magis ſperare, nunc magis timere, ſimpliciter tamen magis & frequẽtius de miſericordia domi-

Domini ſperandũ eſt, quàm formidandũ de ſecuritate.

XI.

Opera bona omnibus adultis ſunt ad ſalutem neceſſaria: & quum ex fidei & charitatis ſpiritu proficiſcuntur, ita grata ſunt Deo, vt eis tanquàm iuſtam mercedem, vitam retribuat æternam.

XII.

Confirmatio & extrema vnctio, Sacramenta ſunt à Chriſto inſtituta. ſed nõ vt duo præcedentia ad ſalutem neceſſaria. ex cõtemptu tamen illa omittere, mortale peccatum eſt.

XIII.

In Euchariſtiæ ſacramento eſt re ipſa verũ corpus domini noſtri Ieſu Chriſti, illud ipſum, quod de Virgine natum, & in cruce paſſum eſt.

XIIII.

In Euchariſtia non manet panis & vinũ, ſed hæc in corpus & ſanguinem Chriſti admirabili potentia verbi ipſius ſunt conuerſa: manentibus tantùm panis & vini que ſpeciebus. vnde certa fide tenendum eſt, ſacram Euchariſtiam ſanctè à nobis adorari, ſiue in miſſa, ſiue extra miſſam, vbicunq; repoſita fuerit: aut quoties in ſupplicationibus publicis à ſacerdote circunfertur.

XV.

Non eſt laicis neceſſaria ad ſalutem cõmunio

 ſub

ſub vtraque ſpecie, iuſtiſq; de cauſis ab Eccleſia ſancitum eſt, vt illis ſub vna tantùm panis ſpecie Sacramẽtum cõmunicetur: in quo carnem & ſanguinem, atq; ita totum Chriſtum ſub vna ſpecie ſumunt.

XVI.

Sacrificium miſſę ex inſtitutione Chriſti, tam viuis prodeſt quàm defunctis.

XVII

Solis ſacerdotibus ſecundum Eccleſiæ ritum ordinatis, data eſt à Chriſto poteſtas conſecrandi verum corpus Chriſti & ſanguinem.

XVIII.

Matrimonium contractũ & conſummatũ inter Chriſtianos, eſt indiſſolubile: qualiſcũq; fiat alter coniugum, ſiue adulter, ſiue ſterilis, ſiue hæreticus.

XIX

Nunquàm licet Chriſtiano poſt diuortiũ contrahere matrimonium, viuẽte eo cum quo priùs legitimè contraxerat.

XX.

Matrimonia contracta contra Canones ipſa dirimentes, ſimpliciter ſunt irrita & nulla.

XXI.

Firma fide tenendum eſt, vnam eſſe in terris veram atq; catholicam Chriſti Eccleſiá, eámq; viſibilem: quę ab Apoſtolis fundata, in hanc vſq; æta-

ætatem perdurãs, retinet & ſuſcipit quicquid de fide & religione tradidit, tradit, & traditura eſt carhedra Petri: ſuper quã ita à Chriſto ſuo ſponſo eſt ędificata, vt in his quę fidei ſunt & religionis, errare non poſsit.

XXII.

Extra hanc nulli ſperanda eſt ſalus: ſuntq́; extra eã hęretici, ſchiſmatici, & excõmunicati: vnde vehemenrer formidanda eſt excõmunicatio: nec humana, ſed diuina eſt excõmunicandi poteſtas.

XXIII.

Vnus eſt Eccleſiæ ſummus paſtor, cui omnes obedire renentur: ad cuius iudicium controuerſiæ, quæ ſuper fide & religione exiſtunt, ſunt referendæ.

XXIIII.

Summam hanc prępoſiturã primus omnium geſsit ſanctus Petrus, verus Chriſti in terris vicarius, & totius familiæ eius paſtor. Poſt Petrũ verò ex Chriſti inſtitutione omnes deinceps Pontifices, Petri in cathedra ſucceſſores.

XXV.

Certa fide tenenda ſunt, non ſolùm quæ ſcripturis expreſſè ſunr prodita, ſed etiam quæ per traditionem Eccleſię Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita ſunt ſuper fidei & morũ negocüs per cathedram Petri, vel per concilia

generalia legitimè congregata.

XXVI.

Conſtitutiones Eccleſiaſticæ de ieiuniis, feſtis, & abſtinentia ciborum, aliiſque multis obligant in conſcientia, etiam extra caſum ſcandali.

XXVII.

Rectè fit in Eccleſia, quòd ſanctos in cœlis cum Chriſto agẽtes veneramur & inuocamus, vt pro nobis orent. quorũ etiam meritis & interceſſione Chriſtus nobis hîc multa largitur, aliàs nõ largiturus: per quos etiam miracula multa in terris operatur.

XXVIII.

Quapropter ſanctè & religioſè faciũt, qui loca eis dicata, vnà cum ipſorum reliquiis religioſa pietate viſitant, & hoc modo ab ipſis opitulationem quærunt.

XXIX.

Gratus eſt etiam Deo imaginum vſus. rectéq; coram eis procũbimus, inuocaturi ſanctos quos repræſentant.

XXX.

Firmiter credẽdum eſt, poſt hanc vitam purgatorium eſſe animarum in quo ſoluitur pœna peccatis adhuc debita. Eiſdẽ tamen ſubuenitur, ſacrificio altaris, oratione, ieiunio, eleemoſyna, aliiſque bonis operibus viuorum, ſicut & indulgentiis, quò citiùs ab ea liberentur.

Ani-

XXXI.

Animæ defunctorum purgatæ, mox regnant cum Chriſto in cœlis. Et animæ impiorum hinc migrātes, ſempiternis inferni tradūtur ſupplicijs

XXXII.

Rectè vota Deo facimus, tam monaſtica quàm alia. & facta obligant apud Deum: nec aduerſantur libertati Euangelicæ: quæ à peccatis libertas eſt, & iis quę ſpiritum noſtrū quoquomodo impediunt, quominùs totus Deo ſeruiat. nō autem à voti vel iuramētu obligatione, nec ab obedientia magiſtratus eccleſiaſtici vel ſæcularis.

ERgo quod vnum noſtræ facultatis eſt, Mandamus Theologiæ ſtudioſis omnibus, quacunq; ratione nobis ſubiectis, & in poſterū ſubiiciendis. Primùm, ne quid vſquam doceant aut profiteātur, quod dogmatibus his contrariū ſit: deinde, vt eadem fideliter cùm locus & occaſio poſtulabit, tueātur & explicēt, ad veteris & orthodoxę fidei cuſtodiā, & ędificationē Chriſtiani populi. Si qui verò cōtraria, eos pro modo facultatis noſtrę omnino punire decreuimus.

Anno à natiuitate Domini M. D. XLIIII. Menſis Decembris die ſexta, Facultas Theolo-

 giæ

giæ cógregata per iuramentũ in collegio Theologorum ſuper articulis præcedétibus, probauit hos articulos ſub forma qua ſcripti ſunt. Sic ſubſcriptum, De mandato dominorum Decani & Facultatis.

Iudocus de Langhéhoue Notarius ſubſcripſit

HAC proinde cauſa, cúmq; articuli peracti in noſtro concilio accuratè perlecti, catholici & ſancti cóperti fuerint, eoſdé quantũ in nobis ſitũ eſt, harum teſtimonio literarũ noſtra autoritate decretoq́, firmamus. Omnes & ſingulos Epiſcopos, Eccleſiarumq́; Prælatos, cuiuſcunq; gradus dignitatiſue fuerint, requirentes & exhortantes: Et quantum protectionis & conſeruationis ſanctiſsimæ fidei noſtræ nobis incũbentis prouincia exigit, illis mádantes, quatenus ſingulis eorũ vicariis, officialibus & officiatis, articulorũ prædictorũ authenticũ exemplar tráſmittant Parochialibus, Presbyteris & monaſteriis mendicantium, & nó mendicantiũ, & aliis quibuſcunq;, ad quos verbũ Chriſti populo annũciare pertinet, in eorundem Prælatorũ diœceſibus cóſtitutis tradendum & porrigendum: aperteq́, & abſq; verborũ inuolucro, populo è ſuggeſtu exponédum. Iuxta quorum articulorũ cótenta, tam Epiſcopi

quàm

quàm clerus, exemptus & nõ exemptus, nõ modò in publicis concionibus, verũetiam in priuatis cõmunicationibus ſeſe accommodare ſtudebunt: Non permittẽtes quicquam, ab eiſdem articulis diſſonum, ſeu contrarium à ſuis euulgari, proponi aut ſuſtineri: adhibita diligẽti, de transgreſſoribus, contraria, pugnantia, ſeu his diſcordantia prędicantibus, aut ſentiẽtibus, inquiſitione. & de noxiis (vt aliis cedāt in exemplũ) debita animaduerſione ſequuta. Omnibus itaq; noſtris, noſtrorúmq; vaſſallorũ officiatis, & iuſtitię præfectis, diſtrictè pręcipiendo mãdamus, quatenus Epiſcopis prędictis, Pręlatis, & aliis eorũdem officiatorum opera egẽtibus, circa præmiſſa faueant, & aſſiſtant, impertito eis, vbi exinde fuerint requiſiti, auxilii ſęcularis brachio. Inſuper dilectis & fidelibus noſtris, ſupremo capiti, Præſidenti, & noſtris conſiliorum priuati magníque cõſiliariis, Cancellario & Cõſiliariis, conſilii noſtri Brabantiæ gubernatori: Cancellario & Conſiliariis Gheldrenſibus: Gubernatoribus, Præſidentibus, & Conſiliariis Luxemburgenſibus: Flandriæ, Artheſii, Inſulenſis, Duacẽſis, & Orchiarum: Magno noſtro Hannoniæ Balliuo, & Conſiliaribus noſtris in mõtibus Hannonię Gubernatori, Præſidenti, Conſiliariis Hollandiæ,

Friſiæ

Friſiæ & Traiecti, Gubernatori & ſupremo Balliuo Namurcenſi, Locumtenenti Tranſyſulano & Groninghæ, receptoribus Zelādiæ meridionalis & orientalis, Schaldæ, Præpoſito Comitis in Valenchenis Balliuo Tornacēſi & Tornaceſii, Sculteto Mechlinienſi, omnibuſq; alis noſtris, noſtrorúmque vaſſallorum officiatis, & iuſtitiæ præfectis, quibus literæ noſtrę dirigentur, & ad quos negociū hoc pertinet & ſpectat, Damus in mandatis, quatenus præmiſſa ſeruent, ſectentur, & adimpleāt, & ab omnibus ſeruari, ſectari & adimpleri, abſque cōtradictione aut contrauentione quacunque procurent. In quorū robur, fidémque præmiſſorū præſentes literas noſtro ſecimus ſigillo cōmuniri. Datum Bruxellę die decimoquarto menſis Martii, Anno Domini M D. X L I I I I. Imperii noſtri 26. Regnorúmque noſtrorū Caſtellę, Legionis & aliorum 29. Subſcriptum, Per Imperatorem in ſuo conſilio. Et ſignatum, Verreyken.

FINIS.

569.1.4